



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

VI. Vtrum diuisio gratiæ in naturalem, & supernaturalem sit diuisio in
auxilium debitum, & indebitum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

consequentia ab vnoquoque determinatè sumpto, ad vnumquemque indeterminatè, ac vagè. Vnde, *Nul-
lus*, non valet *Omnis*, si utrobique sit eadem suppositio: non verò si in altero termino suppositio sit vaga, & in altero distributiva, seu collectiva. In re nostra, cogitatio congrua, & bonum opus cuiusque habet ex natura sua impossibilitatem moralem cum vni-
formitate reliquorum, quoad congruitatem, & bonam operationem, ut ostensum iam est. Nunquam autem est bona consequentia à singulis ad collectionem, quoad ea, quorum existentia in aliquibus est ex sua natura impossibilis, cum existentia eorundem in cæteris. In Deo nulla multiplicitas eligibilium, aut instantium, pro quibus eligere potest, vllam inducit probabilitem electionis casuræ potius in aliquod ex illis, quàm in extremum oppositum consistent in indiuisibili. Quia siue eligibilia sint multa, siue pauca, siue vnicum, semper est vnicum, & indiuisibile motuum, & causa eligendi; sola namque moueri potest bonitate essentia suæ. At respectu voluntatis creatæ, tot sunt causæ motuæ eligendi, quot sunt eligibilia; atque multiplicatis causis, quarum quælibet sufficit ad inducendum effectum, augetur probabilitas futuritionis talis effectus, ut constet ex discursu superiori. Quare necessitas, ut Deus conferrat congruam cogitationem alicui ex tota hominum multitudine, reultat indirectè in Deum ex necessitate, quæ inest hominibus, ne sint inter se conformes, quoad operationem bonam, vel malam, ex suppositione, quod constituentur à Deo æquè indifferentes.

Ad 2. Nulla multitudo hominum, aut aliarum quarumlibet causarum perfectè indifferentium ad bonum, & malum æqualis multitudini hominum de facto existentium, est indifferens, ex natura rei, ut tota collectiue careat cogitatione congrua; sed est ex natura rei determinata, saltem moraliter, ut inest congruitas alicui indiuiduo. Quare de tali determinatione gloriari non potest, quasi de aliquo non accepto à Deo; nec propterea habet aliquid, per quod discernatur ab aliâ simili multitudine. Nihil igitur propterea habet, de quo gloriari possit, tanquam de re non accepta à Deo, & quasi se per se ipsam discreuerit ab aliâ multitudine.

Ad 3. Non minus necesse est: Certè non multò minus, aut multò aliter necesse est, ut proueniant bona exempla, quàm ut veniant scandala, posita perfecta singulorum hominum indifferentia, ad vtrumlibet illorum. Cæterum quia scandala proueniunt ab hominibus, quibus ea suppositio non est libera; propterea absolutè dicitur, *necesse esse, ut veniant scandala*. Quia eorum necessitas non est vitabilis à causa ipsorum, sed est inenitabilis, modo iam explicato. At bona exempla proueniunt à Deo, tanquam à primo, & principali ipsorum Auctore; atque ipsi non est inenitabilis; sed omnino libera suppositio existentia hominum, & indifferentia eorundem, ut dent bona exempla, ac propterea, non potest eodem modo absolutè dici, quod necesse sit, ut veniant bona exempla. Quia videlicet, respectu causæ principalis, & præcipuæ ipsorum non est necessaria suppositio fundans necessitatem eorum, qualis explicata est.

Ad 4. Quando necessitas vaga multitudinis quoad aliquod bonum, vel malum fundatur in perfecta indifferentia singulorum, ad illud habendum, & vitandum, non reddit optabilem respectu singulorum omissionem boni, vel incursum mali in cæteris contentis in collectione. Quia vnusquisque eodem prorsus modo comparatur in actu primo ad suam ele-

ctionem bonam, vel malam, cæteris omnibus quomodolibet se habentibus; nec redditur melioris conditionis, quoad electionem bonam faciendam, & vitandam malam, ex eo quod cæteri omittant electionem bonam, & faciant malam. Nec enim ex vnoquoque sic, vel aliter operante, redundat in aliquem alium peculiaris dispositio bona, vel mala, ipsum peculiariter aut determinans, aut alliciens, ut eligat bene, utque euitet malam electionem. Hic nimirum est casus, de quo quaeritur in præfati; sed causat æquiuocationem, quod cognitio electionis mala factæ à cæteris omnibus contentis in collectione, præter vnum, determinet intellectum ad iudicandum illum vnum facturum esse bonam electionem, & habiturum esse congruam cogitationem; Determinat verò legitime ex vi discursus superioris: At electio reliquorum, præter vnum, non ita præcedit electionem illius vnus pro priori naturæ, nec afficit intrinsecè, mediatè, vel immediatè voluntatem illius, sicut præcedit cognitio, & afficit intrinsecè intellectum iudicantis, ac inferentis vnum ex alio. Quod discrimen est manifestum, & maximè obseruandum, pro rebus similibus, propter innatam inclinationem transferendi in obiecta prædicata proportionalia prædicatis cognitionum; quæ inclinatio persæpe nocet, ac fallit in scientiis. In necessitate vaga non fundata in perfecta indifferentia singulorum, alia longè ratio est, ut apparet consideranti, quæ dicta sunt.

Ad 5. Omnia creata sunt libera Deo absolutè in vtramlibet partem; Non tamen facta qualibet suppositione, quia suppositio aliquorum effectuum inducit sæpè necessitatem quoad aliquos alios effectus, ut exponetur questione sequenti; atque eiusmodi suppositio est existentia causarum secundarum liberarum respectu multitudinis ipsarum, & inde respectu disconformitatis inter easdem, quoad bene, & malè operandum; ut dictum est. Vnde impossibile fuit ex natura rei, ut existerent, vel soli operaturi semper benè; vel soli operaturi semper malè.



QVÆSTIO VI.

Vtrum diuisio Gratiæ in naturalem, & supernaturalem sit diuisio in Auxilium debitum, & indebitum?



IDEVR non esse. 1. Quia Bona in-
doles, præclarum acumen ingenij,
Splendor Natalium, diuitiæ, Prin-
cipatus, & similia, nulli homini de-
bentur; sed Deus ea largitur cui
vult, liberaliter, & gratiose; & ta-
men sunt bona omnino naturalia. Ergo non conuer-
titur Indebitum cum Supernaturali; neque connatura-
le cum eo, quod debetur.

2. Cuilibet inest capacitas vniuersalis ad omnia sibi conferibilia à Deo; & Deo similiter conuenit potestas vniuersalis conferendi omnia, quorum est capax Creatura. Ergo neque ex parte capacitatis Creaturæ, neque ex parte potentia diuinæ datur vllum discrimen bonorum, quæ debeantur, & non debentur rebus creatis. Ergo discrimen naturalis,

& supernaturalis, quod re ipsa datur inter aliqua dona Dei aliis eiusdem donis, conuerti nequaquam potest cum discrimine nequaquam subsistente re ipsa doni debiti, & indebiti.

3. Deus antequam quidquam crearet, nihil cuiquam debebat, nec debere poterat, quando nullus erat, cui aliquid deberetur. At dominium Dei non est diminutum post creationem, quin tam facile potest vertere in nihilum totam rerum vniuersitatem, quam facile totam de nihilo procreauit. *Quoniam tanquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris amelucaui, quae descendit in terram, ut habetur Sap. 1. 1.* Est igitur volubile totum hoc vniuersum in vtramvis partem, quoad esse, & non esse: sicut statera est inclinabilis in vtramvis lancium partem; & sicut gutta roris est exsiccabilis, & facile vanescens vi caloris solaris. Quod si hac facilitate totum hoc vniuersum annihilabile est; ideoque toti illi sua existentia, & conseruatio minimè debetur; nulla vtiq; pars eius vlli alteri parti debita erit, siue naturalis illa sit, siue supernaturalis.

4. Accidentia, & proprietates Angeli non debentur homini; & tamen si ipsi conferrentur, non propterea conferretur donum supernaturale. Et eadem ratio est de collectione proprietatum superioris Angeli respectu inferioris; necnon de existentia substantiae perfectioris, quam sint omnes substantiae existentes de facto, si induceretur in hoc vniuersum. Ergo ratio indebiti non conuertitur cum supernaturali.

5. Debitum, & indebitum dicuntur relatè ad naturam cuiusque, seu ad cuiusque exigentiam intrinsecam. Naturale verò, & supernaturale dicuntur relatè ad totam Naturam, totamque rerum sibi inuicem connaturalium collectionem, & supernaturale ex conceptu suo euahitur supra omnem Naturam creata, & creabilem. Ergo ratio debiti, & indebiti, atque Naturalis, & supernaturalis non sunt conceptus inuicem conuertibiles; sed omnino disparati.

6. Dona supernaturalia sunt inuicem connexa, & in quibusdam eorum continetur ratio debiti respectu aliorum, non secus atque res ordinis naturalis sunt inuicem connexa, & ex suppositione quarundam ex illis, quaedam alia debentur. Ergo nulum est discrimen Debiti, & Indebiti, inter naturalia, & supernaturalia, si considerentur sub eadem proportionali comparatione.

Art. 1. Resp. Licet ipsa vox *Supernaturale*, & *Dona supernaturalia*, apud vnum, vel alium ex Patribus Ecclesiae rarenter usurpata reperiatur; frequens tamen, & familiaris eius usus apud solos Doctores Scholasticos increbuit, atque ab iisdem exposita, & determinata, ac stabili significatione donata est. Quod nemo in antiquis, & modernis Auctoribus versatus in dubium reuocare potest. Significationem autem huius vocis apud Scholasticos, eam esse, quam nos expressimus, deprehendi facile potest ex Principibus Doctrinae Scholasticae, Magistro, & D. Thoma. Magister enim in 2. dist. 33. lit. M. cum praemisisset, per peccatum hominem fuisse spoliatum gratuitis bonis; mox subdit, idest, *Virtutibus supernaturalibus*, D. Th. q. 111. huius 1. 2. a. 1. ad 2. Cum distinxisset duplex debitum, aliud secundum meritum, aliud secundum conditionem Naturae; idest, secundum exigentiam innatam, subiungit immediatè sic. *Dona igitur naturalia carent primo debito; non autem carent secundo debito, sed dona supernaturalia utroque debito carent, & ideo specialius sibi nomen Gratiae vendicant.* In eandem prorsus sententiam exponunt ex consensu aliorum Theologorum, dona supernaturalia Soto de Nat. & Grat. sub init. Spar. Opusc. 1. l. 3. c. 1. & 2. Valent. Granad. & alij communiter in praesenti.

Art. 2. Discrimen porro debiti, & indebiti consistit, in proportionem, & defectu proportionis vnius rei, respectu alterius. Ratione enim talis proportionis redditur innegabilis vna res alteri; Negabilis verò ob defectum eiusdem proportionis, ut docet inter alios D. Thomas 1. p. q. 21. a. 4. & 1. cont. Gent. c. 28. & 29. Vbi statuit Deum ex debito Iustitiae conferre vnicuique Creaturae, quidquid est illi proportionatum, & ab ea secundum convenientem ordinem exactum. Audiatur in 4. dist. 46. qu. 1. a. 2. ad 2. qu. 1. *Similiter quod Deus talem Creaturam producat, qualem voluerit, indifferens est ad rationem iustitiae; sed quod aliquam naturam producat, et attribuat, quod illi Naturae competit, hoc ad eius iustitiam pertinet; & contrarium eius iustitiae repugnat.* Quod hoc loco dicitur, illi Naturae competere, explicatur ab eodem illo artic. 4. per hoc quod ab ea Natura exigatur innatè ex intrinseca sibi proportionem. Est igitur vnicuique debitum, quod est illi proportionatum. Indebitum verò, quod superat eius proportionem.

Art. 3. Si cui haec expositio obscura adhuc, & implexata videatur; tamen in se sit satis clara, & clarissimum habens Auctorem; atque ex legitima, & sincera rerum consideratione facile insinuabilis animo; Dici vltius potest, id esse vnicuique proportionatum, & debitum ratione proportionis, quod necesse est, ut ipsi superaddatur, ne aliquid perperam existat in rerum Natura, neve Deus aliquid inutiliter fecerit: Id verò esse supra proportionem, atque indebitum, & gratuitò superaddendum, quod & prodest alicui, & tamen ea de causa necessarium non est ex eiusdem rei suppositione. Sunt nimirum aliqua, post quae si alia quaedam non superaddantur, perperam ea, inutiliterque existent. Si enim existat organizatio propria corporis humani cum omnibus qualitibus spectantibus ad complementum perfectionis eius, eique non superaddatur Anima rationalis, inutiliter profectò, & perperam extiterit organizatio. Facta namque erunt Instrumenta videndi, audiendi, &c. quorum nullus sit usus; quod est perperam, & inutiliter illa facta esse. Nempe frustra calcamentum hoc dicimus, cuius nulla est calcatio, ut dicitur 1. de Caelo, text. 32. Similiter lib. de Incessu anim. c. 9. si re. *Natura autem nihil contra naturam facit.* Appellat verò Philosophus, *Contra Naturam*, quod nulli usui esse potest. Nempe haec sunt verba eius immediatè praecedentia. Quare si existente homine, non darentur obiecta tangibilia, & visibilia, &c. Non minus frustra existerent in eo potentiae tangendi, videndi, &c. Quia frustra est potentia, cuius nullus potest esse usus. Est autem debitum cuiuslibet entitati, ne perperam existat in rerum Natura; quia est debitum eidem, atque essentiale, ut existat Auctore Deo, cuius Sapientiae repugnat, ut perperam, atque inutiliter quidquam agat. Quod est principium certissimum, & frequens apud Philosophum, ut videre est praecipue ex eodem illo libro de Incessu Anim. c. 1. *Illorum autem (inuariabilium in Natura) vnum est, ait, Naturam nihil frustra facere, sed semper ex eis, quae cuique Animalium generis essentiae contingunt, id quod optimum est. Quamobrem si melius hoc modo, ita Natura se habet.* Negari igitur non potest, esse aliqua, quae quibusdam aliis positae à parte rei, necessario sublequantur. Atque ea necessitas subleuationis Debitum appellatur.

Art. 4. Sunt nihilominus alia quae si praexistentibus superaddantur, cedit id quidem magno ipsorum bono, sed si negentur, nihil propterea datum erit frustra in rerum Natura; nihilque inutile euadet ex parte rerum praexistentium. Si enim Humanitati Christi secundum sua praedicata quidditatiua considerata data non fuisset vnio hypostatica, quae est maxima

maxima ipsius perfectio; non propterea perperam, ac inutiliter extitisset, sed cum tota ea utilitate, & commendatione diuinæ Sapientia; cum qua existunt reliquæ Humanitates non assumptæ à Verbo diuino. Similiter si Prophetis negata fuisset cognitio futurorum contingentium, quæ præcognoscere cum certitudine, non propterea extitisset perperam vis consultatiua, & discursiua circa futura; Sed cum tota ea utilitate, cum qua eadem in cæteris hominibus existit. Negari igitur non magis potest, dari aliqua, quæ si aliis præexistentibus superaddantur, prosint quidem illis plurimum; sed si non superaddantur, nihil propterea ex parte præexistentium redundet, aut inutiliter existat; atque idem necesse non sit, ut superaddantur, attenta præcisè eorum, & præexistentium natura; quæ negatio necessitatis, nomine Indebiti significatur.

Art. 5. Tota ista utilitas, & inutilitas rerum præexistentium, quibusdam aliis superadditis, aut non superadditis reducitur in potentiam actiuam, & passiuam rerum præexistentium. Si enim præexistat potentia aliqua actiua, aut passiuæ, seu principalis, seu instrumentalis; negetur verò deinde aliquid eorum, sine quibus impossibile omnino est, talem potentiam reduci in actum secundum, id est, exerceri actione, aut passione determinante ad agendum, & patiendum secundum totam suam virtutem actiuam, & passiuam, frustra procul dubio extiterit talis potentia, iuxta Principium Philosophi nuper positum. Si verò præexistente virtute aliqua actiua, aut passiuæ, superaddatur aliquid, ratione cuius producat effectus, aut inducatur forma præstantior, quàm quæ sufficit ad exercitum totius virtutis actiue, & passiuæ præexistentis, id procul dubio erit Indebitum, atque donatum, nulla præexistente necessitate donationis, ex parte earum rerum, quibus fit superadditio. Subsistit itaque discrimen intentum Debiti, & Indebiti proportionati, & excedentis proportionem respectu cuiusque entitatis.

Art. 6. Pro maiori claritate, obseruandum est, totam virtutem actiuam, quam exercet Intellectus humanus, quantum est ex se in actu visionis Dei, aut fidei diuinæ, exerceri etiam in actu cognitionis abstractiue de Deo, & in actu fidei humanæ: Quia excessus visionis supra cognitionem abstractiuam, & fidei diuinæ, supra humanam, non provenit formaliter ab intellectu, aut ex maiori ipsius secundum se conatu; sed ex lumine Gloriæ, & habitu Fidei à Deo infusus. Similiter tota perfectibilitas Naturæ humanæ, & vis eius passiuæ respectu suppositi Diuini exercetur, & reducitur in actum secundum, per suppositum humanum. Nempe habito supposito humano, ita expletur tota eius in hoc genere capacitas, ut non possit simul ullam aliam substantiam recipere. Vnde Suppositum diuinum nobilius quidem, & utiliùs explet capacitatem Naturæ humanæ, non tamen magis, aut maiorem capacitatis partem explet, ad eum modum, quo idem vas nobiliùs impletur pretioso liquore, quàm vili, sed non magis. Quæcumque igitur eiusmodi sunt, quibus superadditis melius habeant præexistentia, & meliori, aut effectui, aut forma exerceantur, iisdemque non superadditis, nulla nihilominus in præexistentibus virtus actiua, aut passiuæ vacua, otiosa, & inutilis redditur, ea sunt omnino gratiosa, & nullatenus debita.

Art. 7. Contingit verò aliqua deberi modo dicto vagè, & indeterminatè, alia verò omnino determinatè: Alia rursus mediatè, alia verò immediatè, tam in genere causæ efficientis, quàm in genere causæ passiuæ. Cuiusmodi enim causæ sublunari debetur existentia Corporum cælestium, quorum videlicet virtute actiua non cooperante, nulla causa sub-

lunaris potest exercere suam virtutem actiuam. Quia verò Corpora cælestia non magis possunt totam suam virtutem actiuam vlllo pacto exercere, quàm existat omne genus effectuum producibilium, per quaslibet causas sublunares; atque ideo supposita existentia Corporum cælestium, necessaria, ac debita est existentia omnium causarum sublunarium. Propterea vnicuique Causæ sublunari debetur, saltem mediatè, cæterarum omnium causarum sublunarium, quæ de facto dantur, existentia. Similiter Principatus, bona Indoles, præclarum Ingenium, Animi, & Corporis vigor militaris egregius, & similia, nulli homini secundum suam præcisè substantiam considerato determinatè debentur. Quia tamen cuius homini debetur ex natura rei determinatè existentia plurium hominum, quorum rursus multitudini debetur aliquis Princeps, quo non dato, non possent homines exercere totam dirigibilitatem, & vim directiuam mutuam, quæ ipsis inest in ordine ad communem utilitatem; propterea Principatus debetur vnicuique hominum vagè, & indeterminatè. Eadem fere ratio est, de ratione Debiti respectu bonæ Indolis, &c. Quia vnicuius determinatè debetur existentia Causarum cælestium, & sublunarium, cum motu, & diuersis inde mutuis ipsarum aspectibus, ex quibus simili necessitate proueniunt inæquales corporales dispositiones omnis generis in aliis, atque aliis Individuis. Atque ex his, cum eiusmodi diuersitate existentibus, necessariò proueniunt bona, & mala indoles: obtusum, & acutum Ingenium, complexio robusta, & debilis, & similia in aliis, atque aliis Individuis. Quæcumque igitur sunt eiusmodi, habent absolutam rationem Debiti, quatenus existente aliquo, cui aliquid aliud, saltem mediatè, & vagè debetur, modo dicto, necesse est hoc aliud existere in rerum natura; siue in illo ipso Individuo, aut Specie. Concluditur igitur non esse Indebitum simpliciter, nec vltra limites Naturæ constitutum, respectu alicuius, quod est debitum eidem, saltem vagè, & indeterminatè sumpto, aut mediatè tantum.

Art. 8. Verum quod est indebitum; etiam mediatè, & vagè, potest adhuc duplici modo habere rationem indebiti respectu alicuius. Primò ex natura veriùsque secundum se præcisè considerata: Ita ut retineat rationem indebiti, etiam supposita existentia eorum omnium, quæ subiecto cum quo comparatur, aliquo ex modis huc vsque descriptis, nullaque facta, quoad aliquid horum, suppositione contraria, retineat rationem indebiti; & quod tale est, dicitur indebitum, ac gratiosum quoad substantiam. Quod autem est indebitum alicui tantum ex suppositione aliqua accidentali excludente ab ipso aliquid eidem debitum, aliquo ex iisdem modis superius declaratis, dicitur, & est indebitum tantum secundum modum. Propter priorem rationem indebiti Vnio Hypostatica dicitur ab omnibus, & est indebita, & gratiosa quoad substantiam respectu humanæ Naturæ. Quia videlicet præhabente Natura humana omnia, & singula, quæ sibi debentur tam vagè, quàm determinatè sumptæ, & tam mediatè, quàm immediatè, adhuc est prorsus indebita illi vnio hypostatica. At quod videat qui cæcus natus est, ut indebitum tantum quoad modum; quia Homo ex se est capax videndi, habetque actiuitatem ad id sufficientem, quæ exerceri, & reduci in actum secundum, nec formaliter possit, nec æquiuenter sine instrumentis videndi. Vnde quod ea desint, est merè per accidens ex interuentu agentis contrarij.

Art. 9. Ex his itaque omnibus apparet clarè subsistere discrimen inter ea quæ vnicuique debentur ex Natura rei, ab iis, quæ sunt vnicuique indebita

ex natura rei; adeoque posse, ac debere affirmari conuertibilem diuisionem Gratiae in naturalem, & supernaturalem, cum diuisione Auxilij in indebitum, & debitum; atque quod erit indebitum quoad substantiam, esse supernaturale quoad substantiam, & supernaturale quoad modum, quod est indebitum quoad modum. Confirmatur hæc eius diuisionis expositio, quia notitia rerum supernaturalium, & discriminis earum à naturalibus deriuata primitus est solummodo ex sacris literis, in quibus tamen nulla habetur cõparatio donorum supernaturalium cum substantiis creabilibus de potentia absoluta, neque relatio ad prædicata quædam, quæ à nonnullis Theologis excogitata nuper sunt; sed solum cum natura eorum, quibus donata sunt. Certè nemo dubitat D. Petrum expressisse dona supernaturalia, dum dicit c. i. suæ secundæ Epistolæ. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit.* Et tamen, quod aliquid respectu alicuius sit maximum, & pretiosum, pendet tantum à mutua vtriusque inter se comparatione. Seclusa namque quacunque alia consideratione, Maximum respectu cuiusque, & pretiosum est, quod est ultra dignitatem eius, proportionem in tali dignitate fundatam, actiuitatem, & capacitatem reducibilem adæquatè in actum secundum, per effectum, aut formam minoris momenti.

Art. 10. Non magis dubitari potest quin D. Paulus ob oculos patenter posuerit Dona supernaturalia quoad substantiam, dum 1. ad Cor. 2. dicit ex Isaiâ. *Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus iis, qui diligunt eum.* Id verò nec oculus uidet, nec auris audit, quod est maius iis quorum auditione, & visione exerceri adæquatè potest tota vis actiua, & passiua vtriusque huius potentiae; atque in cor hominis solum omne id ascendit, quod ex actiuitate ipsius, & illorum omnium, quorum existentia sibi debetur, prouenire potest. Iam quod Matt. 16. dicit Christus Dominus Petro Apostolo; *Beatus es Simon Bar-jona. Caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus qui in Cælis est;* nemo est qui dubitet esse expressum fidei supernaturalis existentis in Petro. Ergo excessus effectus supra viuentem actiuam conuenientem alicui eius causæ secundum se præcisè consideratæ, & secundum ea quæ secum affert, vi suæ dignitatis fundatæ in agendi, & patiendi vi propria, est conuertibilis cum conceptu doni supernaturalis. Idem obseruare facillè licet in omnibus, & singulis Sacræ Paginæ testimoniis, quæ Sanctis Patribus, & Theologis persuaserunt existentiam donorum supernaturalium; sed sufficit in præsens illa, quæ eam in rem sunt celebriora, & communiter clariora censentur, breuiter attigisse. Inde enim satis constat expositionem datam doni supernaturalis esse legitimam, & veram esse conuertibilitatem eorundem cum donis indebitis, necnon naturalium cum iis, quæ debentur.

Ad 1. D. Quam iam est bonam Indolem, & cætera similia ita esse indebita respectu vniuscuiusque indiuidui determinatè sumpti, vt tamen sint debita respectu cuiusvis sumpti vagè, & indeterminatè. Ac proinde non esse indebita Homini simpliciter atque omnibus modis, qualiter dictum est esse indebitum donum supernaturale.

Ad 2. Capacitas explebilis totaliter per aliquid inferioris conditionis, hoc solum reddit sibi debitum, non verò quod est superioris conditionis; licet per ipsum ea sit non minùs explebilis; quia si alterum ex duobus inæqualibus inter se adæquet omnino dignitatem alicuius, atque alterum extremum sit præstabilius, hoc vtique erit super talem dignitatem, nec illi debebitur. Capacitas autem vniuersalis substantiarum creaturarum ad omnia conferibilia à Deo, semper est ex-

plebilis totaliter per aliquid, quo maius aliud efficeret, & conferre Deus possit. Quare quia vniuersalitas ea recipiendi, non est coniuncta cum vniuersitate in ordine ad omnia receptibilia, non facit, vt sint omnia, vel debita, vel indebita vniuersaliter.

Ad 3. Dominium Dei nulla suppositione augeri, aut minui potest; licet multiplicem possit necessitatem subire. Quia nullam necessitatem ad aliquid creatum habere potest distinctam à voluntate sua libera circa illud idem obiectum. Quare si Deus voluisset condere vniuersum cum voluntate illud annihilandi intra tempus determinatum, tam facillè id præstare poruisset, quàm facillè de facto conseruat in æternum. Potest verò vtrumque infinita facilitate, idque, & nihil amplius significant exemplum stateræ, & roris antelucani. Nec enim his exemplis repugnat, quod productis quibuscumque rebus, & conseruatis in esse, alia quædam necessariò adiciantur, ne perperam, ac inutiliter priora opera molitus sit Deus; sicut non est contra volubilitatem stateræ, vt stet missio in vtrumque lancem æquali pondere, nec est contra debilitatem guttæ roris antelucani, quod non euanescat calore solis, si protegatur vmbris; Spectat nimirum ad sapientiam Dei, vt non velit aliquid, nisi volendo simul eadem immediatè libertate, qua vult illud, cætera etiam omnia, ne quoad primum inutiliter egerit, idest, ne contemptibilis, ac ridiculus reddatur, quoad primum opus, sicut redderetur quilibet alius, ex consilio, & electione propria faciens, vt opus suum euaderet inutile, & sine suo carens. Dictum autem est huiusmodi conditionatam Dei necessitatem ex suppositione alicuius ad aliquid aliud, dici debitum late respectu huius alijs.

Ad 4. Accidentia, & Proprietates Angeli, non debentur homini cum vnione ad ipsum hominem. Cæterum debetur eidem, vt existant Angeli cum suis accidentibus, & proprietatibus; quia cuiuslibet parti vniuersi debetur mediatè, vel immediatè existentia omnium, & singularum eius partium constituentium peculiarem aliquem gradum entis. Idem dicitur de Angelo superiori, & inferiori suo modo. Quare nihil horum est simpliciter indebitum; ideoque nec supernaturale quoad substantiam, sed solum habet supernaturalitatem quoad modum, si quæ sunt propria substantiæ superioris, accommodantur substantiæ inferiori. Iam substantia perfectior omnibus substantiis existentibus de facto, non esset nec supernaturalis, nec connaturalis, nec infranaturalis respectu huius vniuersi: sed præcisè præternaturalis, & disparatè se habens; quia quæ congruunt huic vniuerso, omnia de facto dantur.

Ad 5. Natura, comparatione cuius supernaturalis aliquid dicitur, est exigentia, & proportio cuiusque rei fundata in eius virtute actiua, & passiua, vt expositum est. Qua eadem comparatione debitum aliquid, & indebitum dici, expositum itidem satis est. Quod si iuxta aliquos, Naturam, supra quam encheirotens supernaturale, accipere libet pro tota rerum naturalium vniuersitate, dicatur esse Collectionem rerum mutuo inter se connexarum, nec habentium connexionem ex parte sua non mutuum cum re aliqua creata, vt existente à parte rei. Ordo verò supernaturalis est collectio rerum ita inter se connexarum, vt simul habeant connexionem ex parte sua non mutuum cum rebus alijs creatis. Dictum nimirum est, quodlibet ens naturale connecti mediatè, vel immediatè cum alijs omnibus speciebus rerum connaturalium, earumque existentiam sibi deberi, saltem vagè, & mediatè; cum nulla verò re supernaturali habere connexionem: At sepe supernaturalia licet in hoc cum rebus naturalibus conueniant, quod

quod mutuo inter se connectantur eodem modo, & ob eandem rationem; in eo tamen differunt, quod non possint exercere totam suam virtutem actiuam, & passiuam, nisi existente ordine Naturæ, cuius illa sunt promotiua, perfectiua, & eleuariua ex natura sua, eaque propter habent connexionem cum tali ordine, & cum rebus in eo contentis, cuiusmodi nulla vicissim conuenit connexio naturalibus. Atque per hæc patet ad sextum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum omnia Auxilia conducentia in finem supernaturalem sint intrinsecè supernaturalia?



IDE TVR non esse. 1. Quia non est necessesse omnes actus salutes versari circa motuum supernaturalem. Ergo non est necessesse eosdem oriri à Gratia intrinsecè supernaturali. Patet consequentia, quia omnia motiua naturalia continentur intra ambitum potentia, & principiorum, & consequenter actuum intrinsecè naturalium; Nempe quæ excedunt vigorem, & sufficientiam Naturæ, sunt eo ipso supernaturalia. Probat antecedens Vasquez 1. quia Luc. & Matt. 10. & alibi sæpe promittitur, atque reddita perhibetur vita æterna propter obseruantiam Legis naturalis, & opera misericordiæ, nulla facta expressione, aut insinuatione motui supernaturalis. 2. quia Conc. Trid. sess. 6. c. 16. definit, Operibus factis in Gratia, & ex Gratia per Christum, nihil deesse ad meritum vitæ æternæ. Actus autem motui naturalis fieri possunt ab Homine iusto, idest, in Gratia, & ex cogitatione indebita, saltem quoad congruitatem, maximè pro præfenti statu Naturæ lapsæ, quod est eos esse ex gratia per Christum, per quem scilicet habemus omnia dona, vnde cumque indebita naturæ; Ea verò maximè, quæ sunt indebita ratione peccati originalis. 3. Quia plerisque bene operantibus, ne quidem venit in mentem motuum illum supernaturalem. Vnde fieret maiorem longè partem bonorum operum, quibus exercentur Fideles, etiam iusti, euadere prorsus inutilem, certè nihil positiuè conferentem ad vitam æternam, quod est durum dictu, & si communiter crederetur à fidelibus; abiret in contemptum, atque inde in desuetudinem.

2. Omnes actus elicit auxilio Gratia per Christum sunt salutes; sed omnes actus honesti, etiam intrinsecè naturales, sunt ex auxilio per Christum, nec possunt elici absque illo. Ergo omnes actus honesti etiam intrinsecè naturales sunt salutes, idest, conferentes positiuè ad finem supernaturalem. Ergo Auxilia Gratia intrinsecè naturalia possunt esse conducentia positiuè in finem supernaturalem. Patet secunda consequentia, quia ad actus intrinsecè naturales non est necessarium auxilium intrinsecè supernaturale. Probatur maior. Quia omnis Gratia per Christum est positiuè salutaria, cum Christus ea solum de causa mortuus sit, vt consequamur salutem æternam, vt docet inter alios Augustinus epist. 105. col. 3. ab illis verbis. *Etenim Christus, &c.* Probatur minor ex frequenti Conciliorum, & Patrum doctrina, statuentium 1. ad omnia, & singula bona opera, semper, & vbique necessarium nobis esse Adiuutorium Dei, & Gratiam per Christum. 2. sine isto adiuutorio, & Gratia nihil boni posse hominem peragere. 3. Nihil habere de se hominem, præter mendacium, &

peccatum; ac proinde cætera omnia haberi ex Gratia Dei per Christum. 4. Eundem non esse liberum ad bonum absque Gratia per Christum; sed tantum ad malum.

3. Actus intrinsecè naturales, & elicit cum auxilio intrinsecè naturali, possunt esse proprii hominis iusti. Certum enim est hominem iustum, posse moueri ad operandum ex motiuo honesto naturali; nec indigere gratia intrinsecè supernaturali, vt ex tali motiuo operetur. Actus autem honesti, qualescumque sint, & vnde cumque proueniant, dummodo fiant ab homine iusto, euadunt positiuè salutes; Quia dignificantur, atque eleuantur per Gratiam sanctificantem in genere causæ formalis, non secus, atque eleuantur in genere causæ efficientis intellectus, aut voluntas per adiunctos sibi habitus supernaturales. Ergo auxilia Gratia intrinsecè naturalia possunt euadere positiuè salutaria, ac proinde conferentia positiuè in finem supernaturalem.

4. Facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiam, iuxta vulgare axioma. Faciens autem, quod est in se, prout opponitur sibi facienti ex Gratia data à Deo, operatur cum auxilio intrinsecè naturali. Ergo actus elicit cum tali auxilio, & consequenter ipsum auxilium, participant conceptum dori positiuè salutis, vt pote utilis, ac positiuè conferentis ad consecutionem Gratia supernaturalis conferendæ à Deo cum infallibilitate dependenter ab opere elicit cum tali auxilio. Idem suadent promissiones illæ Evangelicæ; *Petite, & accipietis: Querite, & inuenietis: Pulsate, & aperietur vobis.* Ex quibus apparet, cumulum donorum supernaturalium expectare præuios honestos conatus Naturæ, vt homine id quærente ex se, quo indiget, suamque indigentiam precibus agnoscente, Dominus supereroget, quo abundet. Et quidem si ad petendum, quærendum, & pulsandum vtiliter, non sufficeremus ex nobis, vrgeret nos æqualis ad eos actus, & reliquos salutes necessitas Gratia non contenta intra vires Naturæ; simulque essemus destituti cõditione sine qua non, ad acceptionem, inuentionem, & ad apertionem diuinæ misericordiæ, illam gratiam erogantis; vel esset admittendus processus retrogradus in infinitum actuum eiusmodi, & auxiliorum supernaturalium.

Art. 1. Resp. Actus perducentes ad aliquem finem oportet esse proportionatos fini, necnon principia actuum, actibus ipsis. Actus autem intrinsecè naturales non sunt proportionati fini intrinsecè supernaturali; nec principia intrinsecè purè naturalia, actibus intrinsecè supernaturalibus. Ergo actus perducentes ad finem intrinsecè supernaturalem oportet esse intrinsecè supernaturales, similiterque principia actuum supernaturalium intrinsecè. Ergo auxilia Gratia conducentia positiuè in finem supernaturalem, necesse est omnia esse intrinsecè supernaturalia. Quod est fundamentum D. Thomæ 1. 2. q. 109. ar. 5. & vtitur præmissis non indigentibus vltiori probatione. Sanè positus actibus non proportionatis fini, non magis sequitur finis, quàm illis non positus, seu posito quouis alio, cum disparatè se invicem habeant, quæ sunt improporcionata ex ea parte, ex qua est improporcionatio. Nec minùs clarum est, nullum actum excedere proportionem sui principij actiui; cum ex eo habeat totam suam perfectionem. Rursus supernaturalia ex eo talia dicuntur, quia euehuntur vltra proportionem rerum naturalium, quibus superadduntur, vt liquet ex quæstione præcedenti. Sunt igitur manifesta, quæ assumpta sunt omnia.

Art. 2. Confirmatur. Dispositio proxima per se requisita, & sufficiens ad finem supernaturalem, est intrinsecè supernaturalis. Siquidem inducit rationem debiti in se intrinsecè supernaturalis. Ergo eadem ratione